

mate inconstantissimos fuisse certū est. Nos autē ex aliis quoque Secundianorū hypotheses & errores collegimus. 2 Error, per quem pigmenta deliriis Valentini addunt, est, Quòd primariam illam octoadem Valentini diuidunt in dextrum & sinistrum latus, nimirum vt quatuor dextro lateri, alia verò quatuor sinistro tribuantur, Pythagoreos imitati, qui omnia rerum genera eodē modo partuntur in dextra & sinistra, vt scribit Plutarchus lib. 1. De placit. Philos. cap. 3. Sed ad illos octo præcipuos Æonas Valētini ipsi addunt Lucem & Tenebras. Præterea & quem desertorē Æonem constituit Valentinus, nempe tricesimum, Secundus dicit fuisse alium, & nullum ex illis triginta, vt ait Tertullianus. Deinde illos Æonas diuinæ mentis affectus tantū & ideas Valentinus esse docuit. Secundiani verò contendunt esse veras essentias, & per se subsistentes. Denique nomina ipsa Æonum Valentini, ipsi primi immutarunt, & à communi captu remotiora fecerūt, vt, quemadmodum scribit Epiphanius, supra Valentinum sapere viderentur: ita bonis discipulis malè cum suo præceptore Valentino conueniet. 3 Error, negant Christum verè incarnatum, & hominem factū esse.

CAP. XIII.

Ptolemiani quid à Valentinianis differant.

Ptolemæus¹ quoque discipulus Valentinianus, heresim nouam condere cupiens, quatuor² Æonas, & alios quatuor asserere maluit.